

COMEDIA POLISCENA PER LEONARDUM ARETINUM CONGESTA

II. TEXT AND TRANSLATION

Joseph R. Jones
University of Kentucky

[Note: "Part I. 'COMEDIA POLISCENA': Introductory and Bibliographical Notes" was printed in CELESTINESCA 9, ii (1985), 85-94. The text is based on the first edition of 1478 printed at the Premonstratensian monastery in Schussenreid--about 45 km. southwest of Ulm--but takes into account some readings from later editions and printings. Folio numbers appear in the text. As an Appendix appear the excerpts included in the seventeenth-century erotic anthology called PRACTICA ARTIS AMANDI. Note numbers refer to variant reading, which will be found at the end of the text. Separate notes for the PRACTICA ARTIS AMANDI follow that text. Ed.]

[2r]*

PROHEMIUM COMEDIE INCIPIT:

Corripio matres:gnatas ne numina ducant
Sanctorum spectare virum nec grandia gesta
Quas procerum iamiam lactat seducere luxus.
Servorum mores, ancillas corrigo nequam
Ne turpem questum sectentur, lubrica fando
Neve suos fallant falleratis turpiter heros
Verbis ut predium vendant lenones alendo.
Ipse monere patres velim ne pravis habenas
Indulgeant liberis nec iners futura senectus
Hos premat demum nec norint parta tueri.
Perlege tu; quenquam comicum iuvat esse poetam,
Que mea musa notat nec despice credere, lector.

ARGUMENTUM COMEDIE INCIPIT:

Adolescens quidam nomine Graccus, filius cuiusdam senis
Macharii se in agro Tusculano excruciantis, die dum quodam
iret deorum delubra, vidit Poliscenam, facie luculentam,
filiam Calphurnie, qua visa subito amore concaluit.

CELESTINESCA

Reserabat mox amorem suum Gurgulioni perfido servo suo, cuius opera se deliciis puellae Poliscene putabat usurum. Sed Gurgulione nil proficiente, Graccus accessit vetulam quandam quam domi nutriebat, Tharatantaram nomine [2v] huic promittens ut amori suo, auxilio et adiumento foret. Hec Calphurniam primo deinde vero Poliscenam aggreditur. Et que ei commissa fuerant in optatam metam mira caliditate perducit. Hec est summa comediae, sed eam poeta miro modo dilatat.

ACTUS PRIMUS

GRACCUS, GURGULIO

GRA. Hem, vellem hercle hodierna die infausta me deglutisset febris; nam ubi illam oblique conspicio, vix vitta abditam, perliberali facie atque etate integra, concalui illico.

GUR. (Quid est hoc, quod herilem subiratam video gnatum?)

GRA. Ad delubra deorum una profectus sum. Contemplor.

GUR. (Miror ne nunc quidem nobis preter spem evenerit quicquam. Hesitabo quid siet.)

GRA. In illam ipsam quoque effeminatos oculos conicio. Ea in humum puellari quodam rubore sua comprimebat lumina, nam ipsam in gremio propemodum fovet, sub cuius imperio est, mater improbissima. . .

GUR. (Quenam est istec obsecro oratio?)

GRA. . . . quam dii deque omnes emori faxint, Calphurnia.¹ Sisto pedes. Prospicio si uspiam me illam quis amare animadvertat, nam morigerandum mihi est ne, ubi res in vado fuerit, in ore omni sim populo et id vicissim² effluat. Quod si forte amori meo nimis obtemperans et voluptati mee nimis obsequens sim, me vivum penitus sepeliendum oporteat. Discam egomet mihi et meo imperare ingenio. [3r] Sed videon Gurgulionem perfidum servum meum? Eum adibo, nam quem mei istac in re participem consilii faciam preter ipsum habeo neminem.

POLISCENA VIRGO

POL. Nisi me honestatis quedam religio et paterna pietas cohiberet, profecto in ipsos effreno ore prorumperem--sibique haud aliter ac par est succenserem--qui <quo pacto> nos puellas potius quam mares inter domus parietes oppriment. Ignoro nisi id in consuetudinem, quin imo in corruptelam potius, deduxerunt propterea quod autumant nos pusillanimes, negotiis familiaribus defatigatas; domique inclusas neci dedere et ita nostra hereditas in fraudem jurisconsultorum debita proportione privatur.³ Postac asserunt se istuc facere pudicitiae nostrae conservande gratia. Quod quantum sit a veritate absonum non me latet. Nonnunquam tamen nos deorum delubra pedetentim ducunt visere, fratrum audire confabulationes, portenta inferorum superumque in pulpeto proclamantium.

CELESTINESCA

Sed aliud quidem nos intus magisque cruciat. Et quod magis magisque execro: cum viam ita pudice ambulamus circumquoque caput ipsum velo abdite, adolescentum nos turba contemplari moliuntur. At cum eius rei locus sublatus sit, nos ultro mimos carnisprivii cachinando susurrant. Quo sacius plurimum nos mortem obire censeo quam istam vitam lugubrem et infoelicem ducere. Quisnam non licet istis frui voluptatibus quas fert huiusmodi [3v] hilaris estas succi plena? Sed pol me per hoc totum macerabo tempus neque nebo neque lectulos sternam neque quippiam faciam operis neque suppellectilem abstergam neque vestes resarciam donec illum ipsum visam adolescentulum qui hodie me pre amore exanimatam fecit.

GRACCUS, GURGULIO

GRA. Heus, tu audin, Gurgulio?

GUR. Hem, here, quid tristis iam dudum?

GRA. Nil nimis.

GUR. Gaude.

GRA. Verum potin me auscultare tibi ut recenseam que mihi hesterno vesperi obvenere comoda?

GUR. Quidnam est, obsecro, here mi?

GRA. Novum certe aucupium nactus sum modo si quid tute operis attuleris, cuius ipse ingenium novi ad hanc calidum apprime esse.

GUR. Si quid modo operis aut consilii quippiam rei tue profuturum censeas, iube et impera; tua ipse illico capessam iussa.

GRA. Enimvero, Gurgulio, quoniam mea ab ineunte etate tibi consilia omnia credidi, scin, ne te verbis protelem, istuc quod te velim disseram serio.

GUR. Cedo igitur atque idipsum uno expedi verbo.

GRA. Iam faxim.

GUR. Si potis sum, here, numquam te adient insonia. Cede dexteram paululum.

GRA. Principio tibi edico eiciundus est abs te omnis metus patris. Nam istec quam exorsi sumus fruticosa est provincia, mi Gurgulio.

GUR. Quid fruticosa? Cessa ambages; proloqui.

GRA. Proinde nosti pater quam sit vafer ad omne facinus refertus. Rimax est [4r] intellectum.

GUR. Nullus audio.

GRA. Heus, heus, Gurgulio. Quo abis? Audi nunc quidem.

GUR. Quo abeam. Vanus es.

GRA. Pubescente heri sole, ut vult religio commeabam ad sacrificii spectaculum. Illic forte interspicio virginem quandam. He him!

GUR. (Timeo quorsum hec suspiria evadant.)

GRA. Et si non satis propter velum obumbrans, vagari possem. Dum iterum atque iterum staturam conspicio, rimula quadam ex obliquo flavescentes in propatulo emicant⁴ gene.

GUR. (Dii bene vortant.)

GRA. Mihi visa est preter ceteras formosissima.

GUR. Nihil te fefellit.

GRA. Quid opus est verbis? Hanc equidem mihi uxorem dari aut alia via potiri expeto.

GUR. Expetere etenim prohibet nemo, sed potiri multa circumfluunt retinacula: tum severus pater; tum virgo expers artis meretricie, quam verbis lactare subdolis grave est; tum mater. Neque nisi astu id fiat et pater resciscat, heu quotquot nos iurgiis pessundabit.⁵ Tum quod illi trades? Preter moncium aureorum pollicitaciones habes nihil.

GRA. Nihil o Gurgulio? Nescis quid patre inscio ex horreis, ex penu, ex colonis corrodam.

GUR. Astutus es.

GRA. Ymmo quod perpauci faciunt adolescentes precavi egomet mihi et etati mee peculium sed exile haud comparavi mihi iamiam.

GUR. Callidior es ac rebar. Consuluiisti?

GRA. Neminem. Quis putas sim vir?

GUR. Tute? Ita frugi.

GRA. Recte censes.

GUR. [4v] (Fortunatus senex qui sepenumero cum Grifone istoc vicino nostro dum ut fit sub porticu nostra confabulantur iactat sese habere gnatum unicum omni virtute peditum nec se imiscere his illecebris quas fert adolescentia. Nihil sibi adorsum esse delirat.)

GRA. Quid tute loqueris?

GUR. Quo pacto tuam expleam libidinem.

GRA. Merito te ex animo diligo, facetum os, curialis servus.

GUR. Quiesce.

GRA. Istuc, ita me salvet Ihesus, tibi munus fenoratum dices.

GUR. Dimitte munus. Non opus est nunc serpillum neque maratrum in orto serere.

GRA. Ha, queso?

GUR. Age, age. Conveniendum est mihi Tharatantaram. Nam ea et si anus sit, sanius ad hancrem nobis consilium afferat. Sed eccam oportune e balneo quam lautam video.

GURGULIO, THARATANTARA

TAR. Eho! Quid dixti? Vin tibi istud credam?

GUR. Non ariolor.

TAR. Virginem ipsam Calphurnie gnatam amat? Iocon?

GUR. Dixi. Et mihi iurando affirmavit ut se adiuvem. Nam aut sibi nuptui aut alio pacto potiri nostra ope exposcit.

TAR. Heu nostra immo sua si lubet. Nam id si resciscerit pater, nos profecto loris cesos multaret miseros.

GUR. Faciendum est hercle.

TAR. Faciendum? Virginem ortam egregia prosapia, civem, optimis fertam moribus, contaminatum iri persuadeam?

CELESTINESCA

Malim hosce oculos effodiat, vivam me gladio iugulet et canibus devorandam exponat. Obmutesce!

GUR. Perii! Quid [5r] illi amore deperdito ac consilii inopi referam?

TAR. Quid? Scio suapte quesivit; suapte exequatur.

GUR. Recte, sane. Verum laudo vicissim ut experiamus ac sedulo herili gnato opera quod prosit nostra. Si secus fit, perimus. Nosti quam preceps sit. Pater et nimis indulget, quotidie etiam nos minis ac fustibus ad necem usque onustos reddat. Quicquid aget interim scitum, male mulctabimur.

TAR. O fortunatum senem qui istuc monstrum alit! Tota mente exhorre.

GUR. Certum equidem scio si quid preter spem eveniret, hanc in me dumtaxat fabam cadere oporteret, et in me istec scilicet conferetur culpa.

TAR. Unum tamen gaudeo. Si opera nostra herus sine incommodo, sine infamia, clam patre, istac potiatur virgine, nobis semper eius patebunt fores.

GUR. Factum puta.

TAR. Age. Dii bene vertant incepta. Institui equidem me nunquam abs te abituram. Quin quod et illi et nobis voluptati fuerit molliar facere?

GUR. Dii bene ut merita es faxint. Ausculta; cede aurem.

TAR. Quid me vis?

GUR. Cede paulisper.

TAR. Dii te perdant! Quid me oscularis, impudice?

GUR. Ha ha ho!

TAR. Rides, onager, verum ni canescis super cerebrum, tibi hunc colum frangam in frusta et fusa eruam oculum. Hem suavium vetule!

GUR. Concedam intro; dicam te convenisse et te alloquam de virgine, spopondisse paratam te fore ubi lubet.

TAR. Fac ut lubet.

GUR. Vale.

TAR. Et tu istoc nuncio vale.

THARATANTARA SECUM LOQUITUR.

TAR. Credo hoc oportere evenire quod vulgo dici solet: summum ius sepe summam esse imprudenciam. Nam hec Pitagora Calphurnia, que se putabat Platonicum spiritum nactam fuisse, si gnatam domi inclusam continuisset nec ad spectaculum publicum preter maiorum nostrorum ritum conduxisset, non modo is illam amare non occiperet verum nec in posterum nosceret quid amor, quid cupidorum adolescentium sollicitudo poscit. Sed heu! virgini ipsi occasionem paratam prebuit. Verum enimvero is, quantum a Gurgulione intellexi, ad virginem animum applicuit. Haud iniuria illum sectabitur. Ocio etenim ac victu splendido calescit venus, tumescit popisma. Tum habet, diis gratias, unde pecuniam eroget. Ex adverso locus, etas, tempus, spacium, modus ablata sunt. Tum mater vidua, colo et acu victum queritans. Adibit, instabit,

CELESTINESCA

linget, pollicebitur, aureos montes offerens et, ut mulieribus fragilis sexus, ilico inquinabitur scio. Sed quid mea? Veniet ad me Graccus obsecrans quam familiariter ut se adiuvem. Certum est enim auctoritati gnati herilis acquiescere potius quam Calphurniam ac gnate pudiciciam vereri.

SECUNDUS ACTUS

GURGULIO, GRACCUS

GUR. Venissem dudum, Gracce, nisi me verbis continuis tenuisset et nostra...

GRA. Quenam sodes?

GUR. Tharatantara, quicum succensui plurimi propterea quam de re illa quam dixti hodie renuebat resciscere. Ego adversus ipsam irasci atque stomachari.

GRA. Quid tunc?

GUR. Dixi velle tibi ut opitularetur.

GRA. Optime.

GUR. Nam mulier mulieri haud veretur credere verba.

GRA. Dixti probe. Sacius etenim arbitror nos illam esse legatam ad Calphurniam facturos, cui non pertimescit [6r] omne archanum reserare.

GUR. Nam ex aliarum ingeniiis, eius nunc spectatum ingenium velim. Quid enim, mi here, de imbecillitate diseram? Quarum sexus id sibi insitum propriumve habet. Promptum est, naturale est, palam est oculi ut repentina tepescunt cordis mollicie; propositum accurate dissolvunt; horaque variantur citissima. Mihi quidem crede hisce quam sit callidum ad omne facinus ingenium, Gracce. Haud novit nostrum quispiam quam elatum eructant verbum. Ceterum micriorem multo intrinsecus fabricant machinam. Rogas, supplicas; succensent^o plurimi; is procul ultro se offerunt.

GRA. (Videri videor hunc propmodum servum meum Platonicis studiis delibutum fore. Videon quam facete, quam laute loquitur?) Pape, Gurgulio!

GUR. Hem, Gracce. Nunc vera predico.

GRA. Ymo ex media philosophia istunc te sermonem hausisse existimo. Plus quam talentum magnum, ymo ducenta, nunc te venundarem, Gurgulio. Vah! Quis sodes te hisce peditum effecit studiis?

GUR. Vah! Tuum servum illudis, here.

GRA. Haud hercle illudo.

GUR. Quare non noris prius?

GRA. Qui non norim? Nam brevis admodum familiaritas non permisit, mi Gurgulio.

GUR. Vin, here, tibi ut recenseam quantam, quam benignam, quam gratam se obtulit Taratantara?

GRA. Gratam? Heri ubi nescio quid de amore ut fit confabularetur mecum, plus vigesies fetide pepedit ut

- omnes opus fuerat⁸ os et nares manibus obdurare, diu animam comprimere demumque effugere.
- GUR. Coctana ac mulsum forte comedit.
- GRA. Verum. Sed quid una pepigisti cedo?
- GUR. Faxo. Primum ubi orare et amorem tuum meminisse ocepi, ut est versuta, cepit horrere, adversum me tumultuari, in oculos spuere et propemodum orexim provocare.
- GRA. Quid igitur vetule iactas laudes? Dixi [6v] ego impudentissimam tibi.
- GUR. Hin hin hin! Non est. Insto propterea precario aut vi opus esse tibi ut in rem opituletur; alioquin loris multabitur et sese neci dedes.
- GRA. Faxo ut dixti nisi se meis morigerandum moribus suapte exhibeat, quandoquidem meum vivit panem, meo bachatur libero.
- GUR. Inquit flagiciosum facinus virginem, civem, liberam, bonis oriundam parentibus, optimis preditam moribus contaminatum clanculum iri nequaquam posse.
- GRA. Hem hem! Unde istec inolevit religio, nescio hercle.
- GUR. Sic fabulando hesternum fere totum contrivimus diem. Ceterum ut tuum expleat animum spopondit, sese potius tuam voluptatem fovere et assequi quam laribus excludi tuis et fustibus abs te cedi quam Calphurnie ac gnate sue Poliscene illesam ac inviolatam pudiciciam conservare.
- GRA. Haud secus ac equum est facit.
- GUR. Ymo preter equum, Gracce. Nam id equum censes stupri labe non sibi copulatam coniugio virginem contaminari?
- GRA. Abi ad Orcum cum religione istas!
- GUR. Ymo qui nobis exoptant male.
- GRA. Quid faciendum tandem ut pociar? Emoriar ni fiat sedulo.
- GUR. Transeundum est mihi aut illi ad Calphurniam et discuciendum quo pacto nostris lactari atque seduci possit pollicitationibus.
- GRA. Illamcine virginem lactare verbis, o Gurgulio? Nisi ex animo hoc fiat, laterem lavas.
- GUR. Credo verum verba effundere pauci. Demulcebimus forte animum ostentando, nummismata quoque offerentes sane.
- GRA. Quem [7r] dabis obscuro hominem adeo constantem, adeo manus continentem, verentem superos qui⁹ nonnumquam corrumpatur pecunia?
- GUR. Tritum proverbium est, Gracce. Vah! Credin me eciam adeo humanarum rerum imperitum ut quid amor poscit nesciam? Forsitan ubi te amare intelliget, tibi collocari nuptui virgo ipsa matri suadebit.
- GRA. Et id quoque verisimile est. Fac periculum igitur.
- GUR. Hilarem te igitur exhibe. Parce te macerare, mi Gracce. Porro hanc in me sumo provinciam ac lubens eam una cum istac muliere dare operam. Et nisi tuam expleas libidinem, me perpetuo compedes pati et quidvis supplicium lugere...

CELESTINESCA

GRA. Te perpetuo et ex animo diligo¹⁰ et quo te pro tuis meritis ornem munere scio. Sed estne is pater qui rure venit ita anelans agro? Ipsus est. Abi hinc.

GUR. Noli ilia pugnīs tangere, fodere!

GRA. Vola igitur ne nos in scrutinio comperiat colloqui.

GUR. Abeo. Ac visam primum si quid in triclinio et patenis siet quod degluciam. Dehinc in lateribus aufugiam.

MACHARIUS SECUM LOQUITUR.

MAC. Plus quam quinquaginta ex Tusculano meo ibi propinquo percipio vini dolia quod in Thusciam profectus militatum comparavi egomet mihi. Plura interim perpeſsus sum vite ac necis pericula: famem, sitim, algorem, calorem, hostium impetus, latrocinancium insidias, exulceraciones crebras, Sarracenorū fugam, armatorum atque equorum depopulationes. Omitto cetera infinita que militem armate [7r] milicie opus est perpeti; etsi hii qui domi atque in ocio cum uxore, cum liberis vitam degunt noctesque stertunt intrepidās putant militantem foris quacumque fungi voluptate. Sed videte, cives, videte ciccatrices meas. Contemplamini me. Existimate an ocio, ignavia, desidia et dormitione an labore ac longa vigilia rem omnem meam nancisci oportuerit. Quotidie enim me in hoc rastro ac vomere crucio; quotidie boves insector; bostar reviso; sepius sentes stirpesque extirpo. Sarmenta et stipulam lego. Denique quo id mihi frugi faciam pretermitto nihil, nec me respicio nec etati mee ceu equum foret indulgeo. Nonnunquam ingenio meo fraudem committo ut et mihi et gnato meo consulam. Sed heu mihi! Quicquid ex fundo, ex edibus, ex armentis percipitur extorquere satagit fiscus. Quotidie in albo pretoris impinguntur edicta; quotidie domi valatrones insigniti frontibus portant magnas dicas et dicunt sub pena perpetui carceris ac eris ascriptiones opus esse talleas, represaleas, vectigalia et alia huiuscemodi principi exolvere ut hostes tirannisantes ut posset in fugam convertere et abs se illorum nequiciam propulsare. Sic et pauperum animos absorbent. Quam mihi--ita me salvet Ihesus--non supersunt tante rerum mearum reliquie ut salvo¹¹ semper ere alieno et gnato victum prestare ut queam. Heu me miserum! Tedet nimirum [8r] vite mee! Quin quidem ea me vecordia¹² impellit, victus inopia. Sed video gnatum mearum miseriarum lenimen. Adibo ut una istac conferam consilia.

ACTUS TERTIUS

THARATANTARA, CALPHURNIA

TAR. Tua quicquid est eciam si pluris esset, plurimam tibi impartitur salutem, Calphurnia.

CELESTINESCA

- CAL. Te quoque plurimum salvere iubeo. Quod fers nuncium tam vesperi?
- TAR. Bonum, nam est--diis gratias--domus incolumis, excepto herili gnato.
- CAL. Graccon?
- TAR. Ipse. Nam transfluxis diebus hactenus nuper¹³ quodam laborat morbo. Nescio quid animo fert tristicie.
- CAL. Quidnam?
- TAR. Nescio nisi ut est adolescens succi plenus ad amorem applicuerit animum.
- CAL. Ad amorem? Quot annos natus?
- TAR. Viginti.
- CAL. Quam amat sodes scistin?
- TAR. Nisi me animus fallit novi, verum non ausim dicere.
- CAL. Ah, per quem colimus deum cedo.
- TAR. Bona venia abs te prius impetrata,¹⁴ istuc possum proloqui.
- CAL. Vah, ymo optima.
- TAR. Ac tuto, ne quispiam resciscat?
- CAL. Ut tute tecum.
- TAR. Nihil circuitiones utar.¹⁵
- CAL. Audacter.
- TAR. Poliscenam amare coepit perditus.
- CAL. Hem gnatam!
- TAR. Ita. Adeo, Calphurnia, ut opereprecium sit intueri quanta iam sibi iam devinxerit cupiditate quam raptim.
- CAL. Quo pacto, mulier?
- TAR. Postridie cum una tecum ad domicilium pedetentim proficisceretur gnata, velo circumdada--meministi quidem?--is itaque forte ex obliquo interspicit [8v] virginem. Mox concaluit, insequitur, contemplatur.
- CAL. Oculos pavit simplex. Quid tum?
- TAR. Rediit mestior domum; nequit potare, nequit esse nedum panem nec pulpamenta quidem. Noctes ducit insomnes. Omnis in turba est domus. Pater abiit rus.
- CAL. Nondum rediit?
- TAR. Nondum rediit, verum in dies percuntamur.
- CAL. Quam spem pociundi habet belua?
- TAR. Nullam ac puto inesse homini.
- CAL. Ymo belue.
- TAR. Quominus spei habet, hoc magis amat.
- CAL. Spei, spei? Si illum in hoc aspexero angiportu et me tentatum advenerit, credo ita manibus pedibusve pessundabo ut sacius sit nedum contaminasse verum nec adamasse quidem aut preter equum conspexisse virginem.
- TAR. Eunuchon fortasse minitaris?
- CAL. Omitte quidem cetera. Si sapis, hinc pedem remove.
- TAR. (Quid moror?) Dabit minas decem.
- CAL. Quot?
- TAR. (Placuit verbum decem.)
- CAL. Non si talentum magnum. Quid plus, non si auream solis effigiem daret.
- TAR. Nullon precio igitur?
- CAL. Nullo.

CELESTINESCA

TAR. O infelicem adolescentem! Quid igitur faciet miser?
Queso saltem bona verba.

CAL. Mitte orare, in autem male audies.

TAR. Ah, quo ore me in eius conservabo gracia? Quo pede me
in domum recipiam ac cibum petam? Quo vultu adibo ipsius
presenciam si istuc tam inspectatum nuncium referam,
Calphurnia?

CAL. Venisti huc huiusce rei gracia?

TAR. Huiusce.

CAL. Eia! Vah! Euge, [9r] bona mulier, anus, lena!

TAR. Pudet, verum eius sum verita iracundiam ne adversum me
fustibus irrueret.

CAL. Vade, propere; advesperascit.

TAR. Vix sum apud me. Quid illi dixero?

CAL. Te neque precario, neque precio nequissime persuadere,
neque verbis flectere, et istuc quod inceptat, somnium
putet. Vale, Taratantara.

THARATANTARA, GRACCUS

TAR. Abeo, etsi quod dixi profuit nihil. Quod illi referam
amanti?¹⁶ Si verum dixero, suspicabitur opido commentum
esse. Si fidem do, itidem. Si deos testor, tantundem.
Proh deum clemenciam! Date illam ipsam obsecro
eloquencie facultatem orisque eleganciam isti ut
persuadeam adolescenti suum ab istac prorsus animum
divertat virgine. Ne me plus sursum deorsumque
cursitando defatiget miseram; quandoquidem ad hanc rem
parum calleo neque per etatem licet. Viden quantis me
laccessere inceptabat contumeliis, ni obticuisse,
Calphurnia? Per pol perpetuo sibi ex animo benivolo que
nec sese labe lenocinii velit inficiariet atque gnate
pudiciciam, quod ad ius pertinet, labifactoriar. Putabat
se illam lactare pollicitacionibus. Logi enimvero. Si
rescisceret pater, haud eius ferret inepcias. Illicine
est? Quid in angiportu perspicio deambulare? Quid hic
stas, Gracce? Quem percunctare?

GRA. Operiebar te.

TAR. Num friges? Eamus intro propius ignem.

GRA. [9v] Quid pernoctas foris tam vesperi? Aliquam spero
machinam conglutinas.

TAR. Etenim si concedis paululum intro, dicam sedulo quas
lites modo cum illa fecerim improbissima.

GRA. Quacum?

TAR. Calphurnia.

GRA. Illanccine obsecro tute verbis meis convenisti?

TAR. Factum hercle modo.

GRA. Quid dixisti cedo. Num boni quidpiam?

TAR. Audies si potes reticere.

GRA. Ymmo mutum me atque elinguem prorsus censeas. Cedo
obsecro.

TAR. Quantum hodierno die me ad hanc rem habueris propiciam
atque solertem, mi alumne, preter omnem assentacionem ac

- dicendi lenocinium. Persuasum habeas--velim haud aliter
--amoris tui vices me suscepisse ac si ipse affuisses.
- GRA. O lepidam alumnam! Non possum continere quin te
parumper demulceam.
- TAR. Missa istec face. Nam quod te dignum et me equum est
feci. Vellem, ita me salvet Ihesus, illam haud prave
indolis in uxorem dari virginem coetaneam tibi.
- GRA. Quid aiis? Quasi parum intersit, iunior est opido.
Sed cedo raptim quas fecisti lites.
- TAR. Faxo. Ubi accersitum iui, principio adorsa sum
plurima salute mulierem.
- GRA. Quid ea?
- TAR. Ea mihi mutuas vices rediit. Dehinc operitur si quid
se velim. Stupet. Rogat salve num res sint. Dico te
nescio quid animo tristicie perpeti.
- GRA. Nil mentita es.
- TAR. Se solam que hanc curam ex animo demat fore.
- GRA. Certo cercius est.
- TAR. [10r] Calphurnia sciscitatur.¹⁷ Inpropatulo rem omnem
expono: gnatam unicam te amare occepisse Poliscenam
perditum.
- GRA. Nusquam in girum te convertit.
- TAR. Narro locum tempusque; at omnia ubi accurate ac scite
palam feci, adoritur¹⁸ me illico contumeliis;
interminatur plurimum adeo, Gracce, ut nisi precavissem
egomet mihi, temulenta iracundiam suam velut nauseam mihi
in faciem expuisset.
- GRA. Ohii, sobrium narras ingenium mulieris!
- TAR. Sobrium! Ymo adeo inpetuosum et preceps, Gracce, ut
illa ipsa execrabilia Megera aut Thesiphone propemodum
videretur.
- GRA. Ah Cerberi igitur fuit uxor quandoquidem Thesiphone
est.
- TAR. Conveniunt mores.
- GRA. Ipsi nubet.
- TAR. Digna est.
- GRA. Quod consilium faciundum, Tharatantara? Consule
ocius.
- TAR. Reviso si quid in mentem venerit.
- GRA. At matura.
- TAR. Scio. Mitte mihi hanc provinciam. Deos propicios
suspicio fautoresve--ni fallor--affuturos nobis.
Obmutesce.
- GRA. Invenisti sodes tam repens? Hei, si me amas cedo.
- TAR. Obmutesce inquam. Ego adeo exercitavi. Nunc dico
quam nisi istuc quod in mente fabrico ad nutum eveniat,
me quibusvis suppliciis ream efficias, Gracce.
- GRA. Dii nostra obsecudent vota.
- TAR. Audivi sepe numero dicier ubi ostentatam habent
occasionem, ad quod viridis fert adolescencia,
perniciores virgines fore que quo matres intra parietes
domus coercent nec hominum mirentur conspectum, eo se
prebent [10v] ad quodcumque irritamentum faciliores. Nam
ita est ingenium omnium ut potissimum corporis sui

CELESTINESCA

libertate potiri moliantur. Que quam primum sublata est, titilat animum violata atque oppressa libertas.

GRA. Quorsum is?

TAR. Quorsum audies. Quoniam ad Calphurniam nil profuit sermones blesos effundere, clam ipsam adibo virginem; in scrutinio colloquar. Persuadebo et omnem Ciceroniane eloquencie accumulabo locum.

GRA. Dii faxint ne spe frustreris tua.

TAR. Parce vereri, Gracce. Nusquam pedem referam donec illam tibi imponam gremio.

GRA. Amabo! Verum istuc credam.

TAR. Dixi. Interea introeamus ad cenam.

GRA. Recte censes. Eamus.

MACHARIUS, GRACCUS

MAC. Heus, Gracce. Num me interim accersitum venit quispiam verbis pretoris ut ad sese exolutum talleas proficiscerer?

GRA. Nondum, pater.

MAC. Num sesquipedinosi balatrones interminati sunt sese nobis daturus peremptorias dicas?

GRA. (Miror quid rei sit.)

MAC. Et ex secundo pretoris decreto in bonorum nostrorum possessionem venturos? Quam illos inferi degluciant famelicos ut sunt male conciliati!

GRA. Digni sunt quidem ut quodvis supplicium luant. Ita semper nescio quo tamen pacto impörtuni fuere nobis.

MAC. Quid tute ais?¹⁹ Quanti annona?

GRA. Pauci.

TAR. At quanti?

GRA. Viginti.

MAC. Vih, vih, perpauca est. Nam suspicor quicquid ex horreis [11r] superest corrodet fiscus. Interea usque dissipat, extorquet. Vih, quid mea constant? Vellem me lautum imitibus polintorum dentibus ad necem usque vivere.

GRA. Si sapis, pater, itidem laudo.

MAC. Etenim nuper dum domum peterem compater meus singularis Callimachus²⁰ in aurem dixit se hodie gnato uxorem dare et Dionisia facere. Eo tu domum serva et me ocius reversurum expecta.

ACTUS QUARTUS

THARATANTARA, GRACCUS, POLISCENA

TAR. Propero ad ipsam, Gracce.

GRA. Vih, tam mane?

TAR. Ita. Nam illa nequam virago nunc horsum nunc deorsum ut solet deorum delubra cursitabit visere.

GRA. Scio quam animo struis machinam.

TAR. Ego interim frequens adibo virginem; cum sola sermocionabor. Scis quid heri vesperi dixi tibi in angiportu.

GRA. In mentem mitto.

TAR. Idque persuadebo virgini demum. Credo prius quam hinc abeam impetrabo.

GRA. Oportune ercle.

TAR. Credin me ignorare quantum huic rei temporis comoditas sit frugi qualiterque prosit tempora accomodare? Solet enim vulgo dicier omnium rerum tempus potissimum esse spectaculum.

GRA. Puto etenim te in Caballino et Parnasi fonte delibutam et, si fas est, erroneum ymitari Pitagoram atque facundum qui lapillis usus est Demoscenem; ne vero peregrina petamus nomina: te Casparis Pergamensis viri hac nostra etate eloquentissimi [11v] spiritum hausisse.

TAR. Non laboro morbo stomatico, here. Ne nunc mihi maratrum afferas.

GRA. Ha ha he!

TAR. Propero ocus. Ne me remorere verbis.

GRA. Abi.

TAR. Nisi istuc faciam quod solenni propemodum stipulatione facturam promisi, pereoo penitus. Primum pulso fores. Heus, heus! Quis huic domo est? Heus! Nemo respondet homo. Heus de domo!

POL. Quisnam tam frequentius pulsat fores? Heus tu!

TAR. Huiusce domus preter omnes amantissima ac fida.

POL. Quenam? Taratantara?

TAR. Tua. Aperit actutum²¹ ubi lubet, Poliscena.

POL. Aperio et si mater edixti se absente introducam neminem.

TAR. Optimum tibi hodie dii dent mea gnata diem et annum.

POL. Tibi vero diem et annum hun Tharatantara perpetuum faxint. Quid rei est?

TAR. Habeo tibi nonnihil dicere.

POL. Mihin? (Hem, timeo quid siet.)

TAR. Ita. Quod apprime placebit.

POL. Si quidem bonum atque honestum.

TAR. Verum obdo pessulum ostio. Deinde concedamus paululum intro.

POL. Factum.

TAR. Principio ut sedulo iussa observem: herilis gnatus te salvare exoptat ut sese.

POL. Quamobrem? Quid rei est mecum?

TAR. Rogas? Nequeo satis mirari quamobrem erga te singulari afficiatur benivolencia adeo vehementi, Poliscena, quod nisi se itidem ex animo diligas, decrevit pre tristitia propediem mortem obire. (Contremiscit pre pudore).

POL. [12r] Quo pacto istuc?

TAR. Audies. Pridie cum una cum matre pedetentim proficiscebaris tua ad Francisci oraculum auditum fratres Orci, Achirontis ac Cochiti portenta balantes prope

- incredibilia, ita forte te ex obliquo prospexit.
Meministi, gnata?
- POL. Quidni verum? Cum essem caput ac faciem omnem abscondita, qui potuit censere qualis mihi inesset forma?
- TAR. O Poliscena, nescis quam sagax sit spectator formarum, potissime huiusmodi.
- POL. Recte censes. At ego non sum huiusmodi nec in me est spectacione dignum neque formosum quippiam; propterea puto te ioco, haud serio, dicere.
- TAR. Ioco dicis? Res ipsa indicat, ut me salvet Ihesus. Postquam te amare coepit, nunquam ipsum vidi hilarem; placidus nemini. Satago obsonia ac pulpamenta que scio omnia; demulceo verbis quantum possum. At nequit esse nequit potare;²² noctes ducit insomnes; ingemiscit perpetuo; rogo si velit ut medicum accersitum accelerem.
- POL. (Nescit istec quid, quantis quantisque nunc exanimata sum curis. Nam si linceos haberet oculos, videret profecto haud secus atque ipsa dicit in illum usque concaluisse.)
- TAR. Ait, "Sine, mater,²³ ut liquefiam in lacrimas ut fila Narcissus in filo,²⁴ quandoquidem non licet illam nedum habere verum nec colloqui virginem quam plus quam hanc animam diligo."
- POL. [12v] (Debeo huic meum quem erga illum animum habeo credere? Non credam. Certe credam.)--Numquid ist ex animo veredicis, Taratantara?
- TAR. Certum.
- POL. Noli me obsecro verbis seducere.
- TAR. Quid? Anus seducere adolescentulam!
- POL. Vin tibi unum credam verbum actutum?
- TAR. Cede dexteram. Non sum aliis similis. Nondum quidem nosti ingenium meum quam sit ad res huiuscemodi callidum ac tacitum. Non facile capitur. Auch quid dixti, gnata? Mallem mori priusquam ex me resciseret quispiam. Non extimescas. Non sum adeo inhumano ac rudi ingenio ut nesciam quantum sit oneris vim opprimere adolescentie.
- POL. At vereor.
- TAR. Parce vereri. Nescis quicum loqueris.
- POL. Scio, verum si...
- TAR. Haud sciet mater.
- POL. Pridie vero ubi illum inspexi...
- TAR. Cede intrepide, mea pupa electa, mens mea, rosa mea. (Habeo quod volo.)
- POL. Adolescentem adversum me sepenumero proicientem lumina, dixi mecum illico, "Is quantum suspicor me amat, me exoptat sibi."
- TAR. Non mencior igitur.
- POL. Ergo itidem amare cepi misere adeo, Taratantara, ut quam primum pecii domum, sedeo lacrimans; suspiria crebra et singultus effundo misera; nihil facio operis.
- TAR. (Optime se habent principia.)
- POL. Rogat mater, "Quid fles? Quid lacrimas manas?" Interminatur ut palam [13r] diseram. Quid verbis opus est? Ego illum in coniugem dari optavi perpetuo mihi.

CELESTINESCA

TAR. Facis ut equum est. Nobilem ac bone indolis adolescentulam malle legitimo copulari coniugio quam vitam celibem preter etatem tam deflere. Dicam istuc ipsi an non?

POL. Ut lubet at...

TAR. Omitte. Scis: in aurem clanculum...

POL. Si sapis verum, non indiges monicione. Vulgo enim ac passim fertur sapienti non est opus patrono.

TAR. (Et si non satis sapiencia, tamen astu advertam ne quid per me et a me temere factum videatur.)

POL. Persuasum habeo et propterea haud sum verita tibi scrutinium meum credere nec, ut me salvet Ihesus, tantam patrono meo adhibuissem fidem.

TAR. Noli iurare. Ne plus se cruciet miser, dicam te orare ut cras te alloqutum veniat ubi mater abscesserit.

POL. Mitte orare. Cedo veniat ac finge me insciam.

TAR. Qua hora, ne mater comprehenderit vos, intra vos colloqui?

POL. Ut dixti.

TAR. Sufficit. Vin quidpiam quo prosim tibi?

POL. Ita Gracco meis verbis me recommissam plurimum faxis.

TAR. Vin aliud?

POL. Non. Num tute?

TAR. Non. Nix est in capite, sulcus in gena. Sat est, suavium meum.

POL. Vale.

TAR. Et tu, mea gnata, vale feliciter. Graccique mei memor.

ACTUS QUINTUS

GRACCUS, THARATANTARA

GRA. Nisi me fallit spes bona, bonum refert modo nuncium Taratantara, nam edepol venit hilarior seque ocius movet ac solet. Quam primum [13v] enim me procul vidit, exiluit animo. Viden? Subridet triumpho ercle. Si quid iussi impetravit? Cum gracia²⁵ eo obviam. Heus, heus, Taratantara! Que nova, que nova?

TAR. Bona nova!

GRA. Non sum apud me. Succesit oportune.

TAR. Letare, letare inquam, Gracce. Omnis res in vado est. Nihil me fefellit quod in mentem venerat.

GRA. Certum?

TAR. Certum?

GRA. Exple animum obsecro. Cedo quicquid tute boni fecisti.

TAR. Auch in via istuc fatue.

GRA. Eamus igitur.

TAR. Noli me intrudere! Cessa vestem trahere! Trita est; dilaniabitur facile.

GRA. Succursa igitur paululum.

TAR. Si possim. Credin anum succursare?

CELESTINESCA

- GRA. Si defessa es, mea mater, sede modo atque enarra sedulo prout sese res habuere. Primum cave ne me in gaudium conicias frustra.
- TAR. Oho, beluam me aut hominem censes?
- GRA. Hominem ercle, adeo bonam et fidam ut hodie hisce oculis viderim quamquam.
- TAR. Sede propius ne nos quis audiat.
- GRA. Sedeo.
- TAR. Principio, ubi pulso fores, aperitur ilico; post ea que usus poscit omnium, rogat Poliscena quid rei est secum.
- GRA. Timeo.
- TAR. Dico illam verbis tuis alloqui si lubet. Stupet; squalor innascitur faciei. Primum utor circuicione; laudibus extollo virginis forman. Subridet. Ubi te nomino, rubet faciem.
- GRA. Coniectura optima.
- TAR. Nil reiecit.
- GRA. [14r] Et id quoque non malum.
- TAR. Dico te emori, nisi aut nuptui collocetur, aut precio aut precario pociundi facultas detur, decrevisse.
- GRA. Hem, quid tum ipsa?
- TAR. Erubuit paululum; ettamen placuit sermo.
- GRA. Triumpho! Etenim per eum quem colimus deum, adime istuc perplexum gaudium mihi atque quod actum est tandem uno expedi verbo.
- TAR. Age, arrige aures, Gracce.
- GRA. Arrigo.
- TAR. Decrevimus te eo iturum cras.
- GRA. Men?
- TAR. Te.
- GRA. Illudis.
- TAR. Crede si lubet.
- GRA. Credo. At quando, mane aut vesperi?
- TAR. Mane, ubi mater exhibit foras.
- GRA. Mone me sodes quo pacto id istuc faciam.
- TAR. (Totus iam pallescit ac frendit dentes metu.) Bone vir, num friges?
- GRA. Quod malum? Frigeo. Quin quod rogo expedi.
- TAR. Num dixi? Quam primum Calphurnia deorum delubra frequentabit, tu ex adverso latitans angulo in domum te raptim precipitato. Intellexti an nondum?
- GRA. Recte sane.
- TAR. (Vellem, ita me salvet Ihesus, ex rimula quadam inspiciundi facultatem mihi darier quo modo illam adoriatur primum oracione virginem. Ita nunc propemodum exanimatum video pusillanmem.)
- GRA. Quid tute?
- TAR. Nihil. Verum moneo, Gracce, ut quod strenuum ac maganimum decet adolescentem faxis. Ne confundaris verbis; ne desis uspiam que minitabitur forte, sed in illam quovis pacto irrues.

CELESTINESCA

GRA. [14v] Laudabis hercle perliberali ac strenuo fretum fuisse ingenio. Nondum nosti quam sim ad huiusmodi res vafer.

TAR. (Credo cui iamiam ut arundo tremunt poplices ac crura?)²⁶ Aperi os, bone vir! Ostende numerum dencium.

GRA. Quid malum? Viriliter agam. Missa istec face.

TAR. Bellum arduum est. (Utinam adesset qui tibi caput galea tegeter ne te tela virginis vulnerarent.)

GRA. Me paro. Tamen ubi tempus evenerit, illico me interpellato, ne quid desim.

CALPHURNIA, MACHARIUS

CAL. Hancine tam insignem contumeliam equo fortique animo feret Calphurnia, hoccine tam ingeniosum scelus? Hiccine scelestus Graccus, qui tam perperam me contaminavit ac vi oppressit gnatam, impune abibit? Per pol supplicium luet. Nondum eciam scrutatus fuit quam rigidum, quam inexorable sit ingenium Calphurnie, atque nunc in se periculum faciet.

MAC. Videon properantem adversum me Calphurniam, olim Grifoni amici mei coniugem? Ipsa est. Nescio cui minatur.

CAL. Num in libera civitate istac, num deum veretur, num tentaverit leges pessundare?

MAC. Nisi fallit me, aliquod convicii perpessa est misera. Solent enim nonnulli palatini canes viduarum pudicie insidiarier, nonnunquam rei sue capessende gracia: nodum in scirpo querere.

CAL. [15r] Conveniam verum primum illius infelicem monstri patrem, rem omnem sedulo expediam; perterrefaciam verbis, dicam me in ius provocaturam illum; commonefaciam omnia.

MAC. Recta properat via.

CAL. Edicam ius poscere qui vicium virgini intulerit aut illi nubat aut ipse pudicie predo capite plectatur.

MAC. (Cur cesso mulieri ire obviam ut illi si opus sit obsequor?) --Quo ruis, Calphurnia? Audin? Remorare paululum si lubet.

CAL. Quis me vult? Hem! Ad te ibo, hominum infortunatissime, ymo infelicissime.

MAC. Quidnam est obsecro?

CAL. Rogas? Ille probus ubi nunc latitat Graccus?

MAC. Gnatus?

CAL. Ita. Tuus gnatus.

MAC. (Quam inceptat nunc)--Cur istuc, Calphurnia?

CAL. Ocius scies ac opus esset. At prius ipsa senseram misera!

MAC. Num quampiam tibi intulit iniuriam?

CAL. Adeo magnam, hehim!

MAC. Noli flere. Cedo quid fecit.

CAL. Hehem, me miseram!

MAC. Comprime lacrimas ac noli pectus tundere.

CAL. Emori cupio vixque animam contineo, misera, hei hei!

MAC. Cur?

CELESTINESCA

- CAL. Tuus scelestus gnatus adeo insigne convicium mihi intulit, he him.
- MAC. Quando?
- CAL. Heri.
- MAC. Quid is fecit?
- CAL. Unicam meam gnatam contaminavit ac vi luctando oppressit virginem Poliscenam.
- MAC. Auch! Quid ais? Ubi tute eras?
- CAL. Iveravi, ut fert religio, ad sacras ecclesias. At is quam familiaris domum peciit, virginem domi astantem amicis lactavit verbis demum.
- MAC. Abeo!
- CAL. O Iupiter, o Iuno, o Lucina, o caelum omne! Verum dico tibi, Machari: decrevi extemplo uti foro.
- MAC. Ha ha ha! Non facias. Nondum novi te inhumano esse ingenio ut perniciem amicorum expetas.
- CAL. Amicorum? Amicos censes qui huiusmodi perpetrant facinus?
- MAC. Amicos censeo qui bono zelo haud odio istuc agunt, at is fecit zelo.
- CAL. Persuadere satis potes; verum institui mihi ad hanc rem advocatos esse, ut aut gnatam in nurum accipias tibi aut ille bonus vir iure disponente reus capitis censeatur, ut exemplum ceteris transeat ne huiusmodi perpetrare gloriantur facinora.
- MAC. Deme hanc ex animo iracundiam, Calphurnia.
- CAL. Factum puta...
- MAC. Auch, nondum velim ego istac ex re perpetuam ac firmam, Calphurnia, vicissim conglutinam affinitatem?
- CAL. Si modo quod lex poscit faxis.
- MAC. Ymo cupio, nam ni istuc fiat, nunquam continebo domi gnatum quin quod frugi sit in re nostra animadvertat.
- CAL. Bene et ut te equum est²⁷ facis. Vos valetate et plaudite. Nec expectetis nuptias ac himeneum parari. Omnia intus et rite et solenniter expedientur. Iterum valetate, valetate.

Finit feliciter Leonardus Arentinus. In monasterio Sortense, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo octavo.

[Excerpts from PRACTICA ARTIS AMANDI]**

[147] Singularia ad maiorem huius Practicae elucidationem congrua maximeque necessaria, nunc primum annexa. Idea clandestinarum desponsationum, quae fiunt mediantibus mulierculis vetulis.

[149] Interlocutores: Tharatantara vetula, Grachus amator, Poliscena amasia

ACTUS I

THA. Memini ego me quondam a multis amari; memini etiam me multis egregie saepius illudere ac fune quasi ligatos trahere. Verum heu me iam effoetam manent fata ultricia. Non ita ut pridem ambior nec ullis artibus pristinum vigorem possum reparare, tametsi psilothro aut pinguibus fabis faciem atque adeo rugas aniles--quae mihi alioqui sunt loco retium quibus pulices piscor et mordicus dum contrahoo prehendo--oblinere conor. Dolum tamen facile odorantur ac cahinnantes me non aliter in facie nitere aiunt quam si stercus lucernae includatur atque in obscuro ac tenebroso loco lucem emittere debeat. Tametsi etiam caput meum nardo perfundam aut alia re suaveolenti quo delectantur delicatuli amatores me¹ tamen nauseant ubi sentiunt halitum quendam posticum clam e me exisse, ano namque meo non possum certo fidere quin singulis gressibus fere sibilat.² Tussim quinetiam quoties traho spiri- [150] tum exhalo. Non verentur etiam me veneficum nuncupare, ac blanditiis fallacibus me palpare ipsos incusant, ac magico carmine vitam auferre conari.³ Heu quam misera vetularum conditio! Sed enim aliae ineundae viae, tentandum quidvis potius ut favore juvenum non omnino excidam. Quis scit ubi fortuna lateat? Adibo itaque juvenem quem scio non usque adeo furtivis amoribus refragari, quem aut mihi conciliabo aut, si hac non succedit via, dabo operam ut amorem ipsi cum virgine non omnino hoc in negotio abstemia⁴ conciliem, id quod mihi lucro ac emolumento cedet. Sed ecce, oportune accedit. Alloquar igitur, cum tempus, locus et occasio suadeant. Salve, o Grache, conspicuum juvenum decus atque corona! Quo tendit vestra gratia? O quam rubicundae sunt vestrae genae! O quam felix illa cui basia infigis blandidula!

GRAC. Stryx improba, quid ad te meae genae?

THA. Hei, tametsi ego sum rugosa, rugae tamen meae tibi non nocebunt.

GRAC. Pfui! Quis tecum cupiat sub uno dormire strato? Tres tantum habes dentes et quidem piceos, ac totidem capillos; tantumque vides quantum noctua mane. En pannosas mammas, en pectus cicadae, en rugosas genas ut pera rustica. Quis te amplexetur? Amplexum tuum omnes cane peius et angue fugiunt. Suspecta etiam admodum es veneficii nomine.

THA. Audi prius quid velim. Non meam ago causam sed alterius cui haud gravatim, scio, dabis locum. [151]

GRAC. Cuius alterius? Nullius enim rei mihi conscius sum.

THA. Credo equidem. Sunt vero quae te observent, quae te amentteque unicum exoptent.

GRAC. Men?

THA. Ita sane, et quidem incusant te nomine arrogantiae, quod a te habeantur despectui.

GRAC. Falluntur profecto, sed semper vereor ne si accommodare me coner ab ipsis ego despectui habear. Novi enim aliquantulum ipsarum ingenium.

THA. Ego omnem arrogantiae suspicionem quam de te susceperant amovi, sed verbis meis non omnino fidunt. Est in hac urbe quae te semper in ore habet ac alta saepius trahit suspiria eademque reiterat virgo speciosissima--illa nimirum etcetera dicam tibi in aurem --quae aliquoties te vidit praetereuntem, miratur ac dinumerat singulos tuos gressus. Id vero est quod potissimum ipsam angit, quod ne unico quidem nutu ipsam salutas; prompta enim est resalutare.

GRAC. Quid alloquar aut salutem, cum non norim nisi de facie? Forsitan etiam me traduceret si quid sponte conarer ego. Si quid hac in causa posses agere, non in ingratum contuleris. Sed vide ne fallas; aegre enim has actiones in eo, cum norim vafrum esse interdum virginum ingenium.

THA. Noli dubitare. Tam enim te amat ut nihil supra. Iamiam adibo virginem suscitaturus⁶ qua hora quave occasione ipsam tuto compellare queas. Tu interea domi te contineas. Vale ergo et bene interim spera.

GRAC. Vale et tu, et meam salutem virgini quantumvis [152] adhuc incognitae dicito.

THA. Ne dubites. Rem tuam agam candide.

[158]... illico me interpellato ne quid desit. Quod ad processum ulteriorem attinet, in occulto acta sunt; proinde nil temere pronunciandum. Executio forsitan sponte prodibit, et.



Ilustracion al VI^o auto por Escobar. Barcelona, 1888.

CELESTINESCA

NOTES

* Text based on first edition, folio nos. indicated in text.

¹LH Calphurniam. The variants which I judge significant, interesting, or useful examples of the problems of Renaissance texts are included with the following abbreviations: S = Schussenreid 1478; L = Leipzig 1503, by Melchior Lotter; H = Leipzig 1510, by Martinus Herbipolensis ("of Würzburg"). I have supplied capitals, punctuation, divided or joined words in accordance with common modern practice. Square brackets, [], indicate editorial corrections or additions; parentheses set off what I judge to be asides; angled brackets, <>, identify words that are superfluous. Exclamations: I have consistently used ah, vah, vih, though there is much variation (auch, vach, vich, etc.). Where y = ii, it is so transcribed (dy = dii). Where authorized by one of the texts, I have made non-standard endings (e.g., -eum, suaveum; -io, perio) and hypercorrections (e.g., Narciscus) conform to now-favored spellings.

- ²LH incassum
- ³L privari, H privatu
- ⁴LH eminent
- ⁵LH -dabunt
- ⁶LH succensentur
- ⁷LH sancte
- ⁸LH fuerit (for fuit?)
- ⁹LH omit
- ¹⁰LH Me... dilige
- ¹¹S Quod mihi... ut salvo (for solvo?)
- ¹²LH mea vecordia.
- ¹³LH nam nuper
- ¹⁴LH imperata
- ¹⁵LH utor
- ¹⁶LH amenti
- ¹⁷L Scitatur, H Sciscitatur
- ¹⁸LH adorditur
- ¹⁹LH agis
- ²⁰LH Callimchus
- ²¹LH tutum ac
- ²²LH At ne quid esse inquit neque potare
- ²³SLH motus
- ²⁴S ut fila Narcissus in filo, LH ut Narciscus in fila (for ip silano?)
- ²⁵S Cum gracia LH omit
- ²⁶S ac crura LH omit
- ²⁷LH Bene et tute equum est


** There are no variants for the PRACTICA ARTIS AMANDI. The following are questionable words or errors.

- 1 me for in me or mihi?
- 2 for sibilet?
- 3 conati
- 4 abstemiam
- 5 nimeam
- 6 for sciscitatum or sciscitatura?

THE
SPANISH BAWVD
REPRESENTED
IN CELESTINA.
OR,
The Tragicke-Comedy of
CALISTO and MELIBEA.

*Wherein is contained, besides the pleasantesse and sweetenesse
of the stile, many Philosophicall Sentences, and profitable
Instructions necessary for the younger sort:*

*Shewing the dunces and fabuliers boufed in the befores of self
feruants, and Cunny-catching Bawlds.*



LONDON
Printed by J. B. And are to be sold by
ROBERT ALLOT *at the Signe of the Beare*
at Pauls Church-yard, 1631

Traducción al inglés de 1631 [James Mabbe]. Portada.